


447



436

plumbo earum epistolas signarent, quod etiam solus pontifex summus facere habet; 3) eidem duci umbrellam concessit, quae est ornamentum galero simile; 4) Venetorum duci tertiam sedem in theatro fieri fecit, cum prius duae tantum essent in papae theatro, quarum dextram pontifex summus, sinistram vero Caesar teneret; 5) in ascensione Domini in ecclesia S. Marci posuit plenarias indulgentias perpetuis temporibus. Et imperator Conradus potestatem eis dedit cudendi et signandi monetam propriam. Et Nicolaus, (221 a) hujus nominis III papa, dedit eis potestatem signandi et cudendi ducatos. Et Reinerus 48. dux accepta potestate primus ducali birreto frixum aureum honestandi magistratus addidit. Et multis aliis privilegiis gaudent, quibus rempublicam suam conservant et terram mareque tutum mercatoribus caeterisque mortalibus reddunt, ut jure Venetis optandum sit, quod quidam ex nostris carmine in eorum laudem futuram cecinit dicens:

Dum mare delphinos, dum coeli clara tenebunt
Sidera, dum gratos tellus dabit humida fruges,
Dum genus humanum sua deget saecula terris,
Splendor erit toto Venetum celeberrimus aevo.

Hanc urbem pulcherrime et propriissime effigiatam invenies in peregrinali reverendi domini decani ecclesiae Moguntinensis, domini videlicet Bernhardi de Braitenbach. Sed descriptionem ejus ab origine usque ad hoc tempus nostrum ornatissimo stilo vide in volumine M. Antonii Sabellici rerum Venetarum ab urbe condita.

Recessus Fatis Felicis Fabri a Venetiis.

Die XVII., quae est Antonii abbatis dies, ante lucem diei venit ad cameram meam, in qua jacebam, Johannes Müller, negotiator de Ulma, excitans me ad recessum. Conveneram enim cum eo de recessu et cum aliis duobus mercatoribus de Augusta. Sumto autem cibo in fontico valefecimus dominis mercatoribus et notis amicis nostris, de domo ad mare descendimus in praedispositam barcam et in nomine Domini per canale exeentes civitatem postergavimus Venetiarum; ad latus autem venimus insillae, in qua monasterium monialium est situm, quod dicitur ad S. Johannem, ubi referebant mihi mercatores, quod publica fama universis Venetis notum sit, quod quondam piscator quidam monialibus istis

Ende

Anfang